

tum, quam perhibent conuenisse cum superno patre, unde diuinum semen aliud nasceretur tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur. Quidam eos dicunt Sem filium Noe Christum putare.

I Nomen acceperunt.) Et hinc quoque ab aliis autoribus dissentit Tertullianus: quos enim omnes alij Sethianos vocat, ille Sethoitas appellat, nisi fortasse in impressis sit error, quod mihi videtur verisimilius, & pro Sethoita apud Tertullianum, Sethita legendum esse malimus. Atque hi cum Ophitis, de quibus antea, coniunguntur à Theodoro to lib. 1. quasi eiusdem dogmatis fuerint, quos tamen diuersa ab illis sensisse satis ex hypothesebus apparebit. Ante Carpocratem constituit Tertullianus. Isidorus autem post Archonticos & Adamianos, adeo ut tota de horum origine & tempore disputatio & definitio incerta sit. Dicam igitur quod sentio. Mihi videntur Sethiani eodem quo Caini & Abeliani tempore exorti, quum ex eodem erroris fonte scaturierint. Fuerunt enim hi omnes infelicissime Valentianorum stirpis & radicis furculi, qui quauis dissimiles, pari tamen ratione impulsii à veritate deflexerunt. Quum enim quærerent causam salutis hominum, nec eam in Euangelio, sed ex ingenij sui commento inuestigarent, aliis Cain placuit, aliis Abel, aliis Seth. Quæ tanta opinionum varietas inter eos accidit, quod alij aliorum sententia, in qua tam multa absurda dici videbant, non poterant assentiri. Itaque vnius hæresis exortus & improbatio, alterius inducendæ & excogitandæ causa fuit, ut non longè diuerso tempore omnes hæc natæ videantur. Viguit autem hæc secta in Ægypto